



9

Disputatio Physica
DE
MVNDO SIVE
VNIVERSO IN
GENERE.

Quam

Divinâ affulgente gratiâ, ex consensu amplif-
simæ Facultatis Philosophicæ,

SUB PRAESIDIO

M. ERASMI ZOLNERI
RATISBONENSIS,

*Publico Philosophantium confesui in inclytâ Vitebergensium
Academiâ placidè ventilandam proponit*

SAMVEL STANGIVS
Oldenburgensis Frisus.

*Ad diem Iulii 18. in Auditorio Collegii novi majore,
horis à sexta matutinis.*

VVITBERGAE

Typis Iohann. Schmidts, Anno 1607.

Clarissimo Viro Domino M. Aegidio Weisshelgero Gymnasii

AMPLISSIMIS, PIETATE,
PRVDENTIA RERV MQVE EXPERIEN-
tiâ Præstantissimis VIRIS, Dominis Consulibus,
totiq̃ue honoratissimo Senatui Reipubl.
Oldenburgensis.

NEC NON

*Reverendâ dignitate, Doctrinâ, Virtute &
Autoritate Spectatissimis Viris,*

Dn. ALBERTO BODENIO,
Dn. ERNESTO IVCHTERO,
Dn. GERHARDO HANNEKENIO,
Dn. HENRICO HOPPIO,
Dn. HERMANNO CRVSIO,
Dn. IOHANNI VVITVOGELIO,
Dn. IOHANNI HECHLERO,
Dn. IOHANNI FOLTENIO &
Dn. MATTHIÆ VMSENIO.



*Dominis Magistris, & Ecclesiarum, quæ apud Iadenses, Stolhamen-
ses, Blexenses, Esenshammenses, item in Setel, Struchausen, Eckwarden/
Rasten & Wadwesen Christo Salvatore nostro colliguntur, Pastoribus
fidelissimis, vigilantissimis, suis Patronis & Fautoribus
debitâ animi gratitudine colendis*

Hanc Disputationem Physicam
offert & consecrat

RESPONDENS.



D. O. M. A.

Thesis I.

Dermulta sanè sunt, qua nobis mundi, rerum creatarum domicilii præstantissimi διασκεψιν commendatissimam esse volunt. Præterquam enim, quod vix quenquam rusticorum de sedis ac loci sui, quem incolit, conditionibus interrogaveris, qui tibi earum, si non exactam, aliqualem tamen rationem reddere possit; nos qui cum Socrate κοσμικοί sumus, imò ad mundi imaginem facti, quid mundus sit ignorabimus? Etiam hoc accedit, quòd mundus D. Basilio in Hexaëmi & Βίβλιον ἑγγραφον Ἐπαυδευτήριον τῆς θεογνωσίας dicitur, & revere tale est. Nam uti teste Arist. 1. de part. animal. c. 5. Omnia natura opera de suo Opifice testantur & nos in sui Autoris ducunt cognitionem: ita & hoc in universum ex omnibus creaturis collectum, Architectum suum sapientissimum, Deum ter. Opt. Max. prodit, imò præter hanc nulla disquisitio citius fert in Dei Opt. Max. mundi scilicet Opificis cognitionem.

II.

Et si verò quidam Eremitæ, ut magnum hunc librum attentius evolverent, in Eremos se abdiderint, in ibique solitariis suis speculationibus vacarint: Nos tamen, quibus, ut cum Poëta loquar;

_____ melior sententiæ mentis est,
loca fera & deserta, bestiis itidem feris & solitudine gaudetibus relinquentes, in Philosophorum theatrum expectabimur, ibiq; mundum penitioribus paulò oculis, DEO nos bene juvante intuebimur.

III.

Vt autem teste Scaligero Exerc. 1. s. 1. à vocis usu saepenumero provehimur in rei perceptionem, ita & hoc loco opera precium esse videtur, ut hujus nostri objecti appellationem investigemus. Dicitur ergò hoc univèrsum usitato nomine Græcis κόσμος, Latinis mundus, à singulari mundicie, uti hoc ipsum etiam Plinius lib. 2. c. 4. innuit; quem, inquiens, κόσμον Græci nomine ornamentì appellaverunt, eum & nos à perfectâ absolutâq; elegantia mundum vocamus. Aliàs dicitur τὸ πᾶν & τὰ ὅλα univèrsum, quòd tanquam sedes amœnissima & capacissima omnia contineat corpora, uti vult Velcurio l. 2. c. 1.

IV.

Est etiam vocabulum hoc Mundus κόσμος, quod à Patribus & Philosophis aliter atq; aliter usurpatum esse legimus. Nomine etenim Mundi tum antiqui tum etiam recentes Philosophi intelligunt 1. Vel Archetypum seu intelligibilem, qui desinente D. August. lib. 1. Retract. c. 3. nihil aliud est quàm ratio sempiterna & incommunicabilis quâ Deus mundum fecit. 2. Vel Angelicum, qui supra hunc visibilem mundum esse intelligitur, quemque Angelici spiritus incolunt. Vel Elementarem qui ex quatuor Elementis & rebus corruptibilibus tantum componitur. 4. Vel parvum sub quo nihil nisi hominem μικρόκοσμον illum intelligunt. 5. Vel denique magnum, qui propriè univèrsum vocatur ac tota creaturarum est collectio.

V.

Ex omnibus igitur hisce solum ultimum, quippe presenti huic negotio accommodatissimum intelligimus, cujus duas ex Aristotele lib. de Mundo cap. 2 asserimus definitiones, priorem, quæ ita sonat: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ ἄστρον καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν ταῖς περιεχομένων φύσεων: Mundus est compages à cælo terraq; coagmentata, atque ex his naturis, quæ intra ea continentur: Posteriorem vero quæ talis est: Κόσμος λέγεται ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεῶ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη: Mundus dicitur ordo.

ardo & digestio universorum, qua à Deo & per Deum asser-
vatur.

VI.

Nos haud incommode ex hisce unam extruemus defini-
tionem istis duabus equipollentem hoc modo: *Mundus est com-
pages ordinata ex caelo, terra & ceteris naturis, qua in his conti-
nentur, constans, qua à Deo & propter Deum conservatur.*

VII.

Hac definitio, cum causalis sit, ut istius sensum eò melius
percipiamus, causas mundi ordine investigabimus, hisque cogni-
tis, etiam ad ipsius accidentia enucleanda nos convertemus.

VIII.

Atque ut ab efficiente ordiamur, diversissima de hac Philo-
sophorum sunt sententia: Alii enim & quidem plurimi Philoso-
phorum veterum mundum coepisse contendunt, tametsi ratione de-
pendentia & modi dependendi plurimum inter se discrepent: Alii
vero mundum aeternum fuisse, nunquam coepisse, nunquam etiam
interiturum affirmant.

IX.

Inter prioris classis Philosophos, quidam Ens illud supremum
& aeternum, Deum videlicet agnoverunt causam Mundi effi-
cientem ut Anaxagoras & Plato: Quidam vero aliquid aliud pro
causa efficiente substituerunt.

X.

Anaxagoram quod attinet, duo ille aeterna statuit, Deum
scilicet & chaos, atque hac duo primo tempore quievissent, postmo-
dum vero Deum in chaos agere coepisse, atque sic ex eo mundum ef-
formasse.

XI.

Plato vero Deum prima rerum principia ex aeterna mate-
ria condidisse, angelis vero demandasse, ut ex creatis Elemen-
tis idonea eorundem permissione hominem & cetera animalia
conderent. Sic enim Plato in Dialogo de natura summum Deum
introducitur, Deos minores, id est, Angelos alloquentem: Qua

propter accedite vos secundum naturam ad generationem animalium, ita ut vim imitemini meam, quâ in ortu vestro sum usus, &c. Ego vobis semen & initium tradam, vos cetera exequi par est.

XII.

Qui verò Deo hunc honorem derogant, ij vel Mundum ex fortuito atomorum concursu extitisse arbitrabantur, ut Democritus, Leucippus & Epicurus cum suis affectis: vel mundum ex quatuor Elementorum necessariâ & cæcâ conspiratione, mediante lite & amicitia coaluisse existimabant, uti Empedocles cum suo sodalicio. Et hæc de prima Classe Philosophorum, sequitur altera.

XIII.

Hujus autem secunda classis Philosophorum mundum æternum statuentium Coryphaeus & Choragus ipsissimus Aristoteles, qui Mundum ab omni æternitate fuisse, inq; illo statu æternum duraturum, variis rationibus demonstrare nititur 8. Phys. & 1. libro de Cælo, quas brevitatis memores hoc loco omittere voluimus.

XIV.

Ceterum cujus momenti tum hæc Aristotelis, tum aliorum etiam Philosophorum sint rationes, in ipsa συζήτισθ Deo nos bene juvante dispiciemus, sufficiat jam nobis ut judicemus eas omnes à veritatis tramite deflectere, hanc verò, quâ sequenti thesi proponimus, & defendendam suscipimus, veritatis encomio esse dignissimam.

XV.

Cum ergo liberum nobis non sit, extra religionem & Ecclesiam philosophari, quippe in eadem nati, stat uimus, Deum ter Opt. Max. temporis initio cum nihil præter seipsum extaret, verba sua virtutis & potentia, ex nihilo, id est, ex nullâ præexistente materia, quocunque etiam nomine illa venire passit, univèrsam hoc creasse.

XVI.

Quin etiam Deus non habet Architecti alicujus naturam, adificii à se exstructi curam amplius nullam suscipientis, uti quidam
dant

dam Epicuræi arbitrabantur, sed cœu nostra religio docet, & saniores Philosophi etiam, Aristoteles scilicet & Plato fatentur admirandâ providentiâ Mundum à se creatum in hunc diem conservavit, & eò usque istius paternam curam suscipiet, quàm diu eidem ita visum fuerit, donec scilicet supernaturaliter rursus per ignem corrumpatur. Et tantum de Efficiente.

XVII.

Materia Mundi sub duplici venit consideratione, vel ut Mundi constituendi, vel ut constituti. Mundi constituendi secundum Anaxagoram Chaos, secundum Empedoclem Elementa, secundum Epicurum & Democritum atomi fuere; secundum nos verò nulla erit, quippe mundus ex nihilo cum sit, materiam nullam agnoscere poterit. uti etiam hoc ipsum Zabarel. lib. 2. de primâ materiâ c. 1. asserit & thes. 15. à nobis est affirmatum.

XVIII.

Mundi constituti materia sunt omnia corpora naturalia tam corruptibilia, quàm incorruptibilia, tam animata quàm inanimata, tam rationalia quàm irrationalia, & ad summam, quæcunq; universum hoc amplissimo suo ambitu complectitur.

XIX.

De formâ Mundi discrepantes etiam Philosophorum sunt sententia. Alii enim Deum ut Suesanus; alii cælum, ut Averroes formam mundi dixere: Alii verò ut Plato & multi recentiorum Philosophorum Mundum animâ quadam informari atq; sic Universum hoc animatum dixerunt.

XX.

Verùm quamvis priores duæ sententiæ sanò sensu si accipiantur, aliquo modo tolerari possint, quatenus scilicet omnia corpora naturalia vim essendi & movendi divinitus accipiunt; & quatenus cælum perfectius est Elementis & mixtis in quæ continuè agit: Attamen cùm Philosophicè nobis loquendum, & res accuratius ad veritatis trutinam appèdenda sit, utraque hæc sententia consistere nequit: neque cælum, eò quòd corpus sit sensibile & naturale, rectiusque materia quàm forma appelletur; neque

neque DEVS, efficiens quippe cum sit, forma mundi rectè dici
nequit.

XXI.

Posterior verò sententia propriissimè intellecta consistere
omnino nequit propter consequentes plurimas absurditates, in-
primis verò quòd omnes partes mundi animà constarent, & con-
trarias, sibi que ipsi repugnantes qualitates admitteret: interim
tamen si tropicè intelligatur, posset aliquo modo concedi, videli-
cet ita, ut animus universi nihil sit aliud quàm proportio causa-
rum & συμμετρία illa, quâ res per se contraria & diversa in uni-
versi illâ mole copulantur, junguntur, conservantur.

XXII.

Missis proinde erroneis hisce sententiis, asserimus cum
plarisq; celeberrimis nostri seculi philosophis, mundi formam mi-
rabilem & perfectissimum illum ordinem esse, quo res conditæ
omnes inter se sunt connexæ & distinctæ, adeò quidem, ut admi-
ratione potius quàm scrutatione indigeat stupenda illa inter o-
mnia mundi corpora συμμετρία & εὐταξία.

XXIII.

Finem mundi duplicem damus, unum ultimum, alterum
intermedium. Ultimus est Deus ter optimus maximus, cuius ut
immensa bonitas, sapientia & potentia eò melius cognoscerentur,
effectum aliquem ex liberrimâ suâ voluntate producere voluit,
in quo illa omnia apparerent, quod etiam tum in ipsa creatione,
tum in hodiernâ quoque singularum creaturarum conservatione,
indies magis magisque sit conspicuum.

XXIV.

Intermedius verò est homo; quia in omnibus mundi par-
tibus hic servatur ordo, ut perfectius semper sit finis imperfe-
ctioris: sic mixtum est finis simplicis, inanimatum mixti, animæ
tum inanimati, brutum plantæ, homo bruti, imò solus homo est
finis & Dominus omnium reliquorum, ita ut sicuti Rex ad sub-
ditos, ita homo ad reliquas creaturas se habeat. Et hæc de causis
mundi εὐς ἐν συνόψει breviter dixisse sufficiat.

Solent

XXV.

Solent præterea Philosophi mundum ratione substantiæ usitatè partiri in duas regiones, quarum unam ætheream, alteram Elementarem appellant. Ætherea mundi regio illa est, quæ à concavo Luna ad extremum cælum usq; se extendens, corpora cælestia, omnis generationis & corruptionis expertia complectitur, atque aliàs cælum vocatur, de quo ut multa ex professo & peculiariter tractemus, nostri instituti non est, tum quod ab aliis hæc materia ad satietatem usque sit ventilata, tum ne thesium loco integrum commentarium conscripsisse videamur, sufficiat impræsentiarum ejusdem tanquam partis mundi mentionem fecisse.

XXVI.

Elementaris regio illa appellatur, quæ infra concavum Luna constituta, omnia Elementa ignem scilicet, ærem, aquam & terram, omniaq; ex his composita, in quibus perpetua est vicissitudo & transmutatio, suo ambitu continet, quam perinde uti ætheream propter dictas causas non ulterius diducemus, inq; disputationis proscenium proferemus.

XXVII.

His ita expeditis rectè ad mundi accidentia consideranda nos convertimus, quæ $\epsilon\alpha\phi\theta\upsilon\epsilon\iota\alpha\varsigma$ $\epsilon\upsilon\epsilon\kappa\alpha$ partimur in quantitatem & figuram. Quantitas mundi rursus est vel continua vel discreta. Continua iterum est vel ratione essentiæ, vel existentis seu durationis.

XXVIII.

Quantitas Mundi continua respectu essentiæ est finita, partim quia mundus creatus est, At omnia creata sunt finita inquit Scaliger Exerc. 207. §. 26. partim quia habet certam figuram, &: Omne certâ figurâ præditum est finitum; partim quia cælum, & Elementa tanquam principales Mundi partes finita sunt, illud quidem quia 24. horarum spacio circumvolvitur; At infinita magnitudo tempore finito non potest circumagi ut inquit Philippus lib. 1. Phys. hæc verò, quia certum & finitum locum sibi vendicant.

XXIX.

Nulla modo igitur audiendi sunt illi, qui Mundum infinitum
 B statuunt,

statuunt, cum duo infinita neque in naturam neque extra naturam consistere possint. Essent enim duo principia prima, uti subtilitatum Magister Scalig. exerc. 359. §. 12. pronunciat; lubens jam prætereo alias absurditates, quæ inde tanquam ex scaturigine scaturire possunt.

XXX.

De quantitate continuæ ratione existentia, sive (ut uno verbo pace tamen Philosophorum dicam) de duratione mundi dua celebriores se offerunt sententia. Prima opinio est nimia antiquitatis. Aegyptii enim dixerunt, referente Diodoro, Pomponio, Melâ & Lærtio: Ex quo tempore fuissent Aegyptii, quater cursus suos vertisse sydera, & bis Solem occidisse, ubi nunc oritur, Regesque Aegyptios, usque ad Ptolemaeum Patrem Cleopatra, supra septuaginta annorum millia regnasse in Aegypto. Postquam autem rationem syderum comprehendisset Aegyptus, amplius quam centum annorum millia numerari.

XXXI.

Sic & Chaldaei syderum rerumque caelestium scientiam, non minus quam septuaginta & quadringentorum mille annorum observationibus & experimentis comparatam & comprobatam se habere gloriabantur. Sed quid mirum eos ita errasse, quippe cum veritati in sacris litteris lucenti obsequium denegaverint, semetipsos in plusquam cymnarias tenebras immerferint. Proinde non novum, ex unâ falsâ hypothese innumeras absurditates consequi.

XXXII.

Alterâ sententia est sacris litteris & veritati magis consona, quæ haud ita antiquum pronunciat mundum, licet inter istius opinionis patronos aliquâlis etiam videatur dissensio in annorum ab origine mundi computatione. Aliter enim statuit Hieronymus, aliter Eusebius, aliter Augustinus, aliter Lutherus, aliter Reinholdus, aliter alii, quorum sententias hic omnes recensere nimis tædiosum esset. Nos à receptâ sententiâ hac in parte nobis non discedendum esse existimamus. Benè enim ambulat, qui comites multos eosque non imperitos, sed viâ gnaros habet. Dicimus mundum durasse jam annos quing. mille quingentos & sexaginta novem, nemini cuiquam super hac re litteram indicturi.

Respectu

XXXIII.

Respectu quantitatis discreta, Mundus tantum est unus, quicquid etiam hac in parte Manichæi, Democritus, Leucippus, Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus & Epicurus cum suis sectis nugentur, mundosq; vel finitos, vel innumerabiles, vel infinitos constituent. ὁμοσώτους habemus per plurimos saniorum hac in parte Philosophorum ut Thaletem, Pythagoram, Parmenidem, Melissum, Zenonem, Platonem, & ipsum Aristotelem libr. 1. de Cælo c. 8. & 9. multis rationib. probantem. Nam I. si unum est principium movens, utique est unum primum mobile, & per consequens unus etiam mundus erit, ut inquit Aristoteles 12. Metaph. c. 8. & 9. II. Si in hoc Mundo omnia, quæ ad sui ipsius constitutionem requiruntur, sese offerunt, quid opus est alium querere: Atqui omnia illa in hoc mundo conspicuntur, quæ ad mundum requiruntur, sive simplicia & mixta teste Aristotele L. de Mundo c. 2. E. III. Conveniens est inquit Plato in Timæo, mundum suo Archetypo & intelligibili exemplari, id est divina natura, quæ unica tantum est, respondere.

XXXIV.

Sunt quidem adhuc multe rationes, quæ pro corroborando hoc nostro dogmate possent afferri, sed quia potissima earum sunt Mathematicæ, ne videamur falcem in alienam messem mittere, cum propositum nobis hoc loco non sit, Mathematicè mundum considerare, merito illis supersedemus, & sacrarum literarum testimoniis mundi unitatem astruentibus libentissimè contenti sumus.

XXXV.

Ceterum dubitatur hic, quomodo mundus, cum non sit unius nature, sed ex diversarum naturarum corporibus conflatus, uti Zabara loquitur libro de naturalis scientiæ constitutione. c. 15. unus dici possit? Huc disputationi occurrimus cum Mercenario in Dilucid. Phys. p. 51. respondendo, Mundum unum esse unitate ordinis ac congregationis, prout constituitur ex pluribus inter se & ad unum primum certum ordinè habentibus non secus ac siuti exercitus dicitur unus, cujus milites certum respectum inter se & ad unum Ducem habent, quâ ratione etiam Scaliger exerc. 6. §. 2. mundum unum dicit unione primi principii efficientis & finis.

XXXVI.

An Deus plures Mundos potuisset creare si voluisset, si quaratur?
 Affirmativam tenemus cum D. Athanasio orat. 2. contra Idola.
 D. Ambrosio Hexam. libro c. 2. aliisque doctis, si videlicet respicias ab-
 solutam Dei potestatem, potuit quidem Deus creare mundos plures,
 sed non fuit optimum. At summum bonum semper, quod optimum est,
 vult, quod per sapientiam cognoscit, uti Scal. inquit Ex. 365. s. 8. E.

XXXVII.

Figuram Mundi quod attinet, post habitis illorum deliriis, qui
 ei quadratam, aut ovalem ascribunt, cum sanioribus Philosophis, in-
 primis vero Aristotele sphericam illam esse dicimus, uti hoc ipsum vo-
 cabuli significatio importat; orbem enim nominat Aristoteles L. 1.
 de caelo. cap. 5. deinde caelum ipsum, quod Mundi pars est extrema, ro-
 tundum est, quod probat Aristoteles 2. d. caelo c. 3. praeterea mundum
 omnia corpora capere oportet, cum simplicia, tum mixta, quidni illis
 etiam sphericam figuram, quae teste Aristot. L. 2. d. caelo c. 4. omniam
 est capacissima, attribuemus?

XXXVIII.

Tandem baud immerito queritur, An mundus hic sit perfectus?
 Affirmamus hoc cum Aristotele 1. d. caelo c. 1. ita tamen ut eum non
 absolute, qualis perfectio non creatura, sed creatori competit, sed
 κατὰ τὸν, inque suo genere perfectum pronunciemus, quia ipsi nihil ad
 perfectionem necessarium deest, cum in omnibus tanta, quam major
 ne cogitari quidem potest, perfectio deprehendatur. Cum enim uti
 Conimbricenses inquit Com. in libr. 1. de caelo c. 1. q. 1. a. 3. tria
 sint, ex quibus alicujus rei perfectionem constare oportet, videlicet
 singularum rerum, ex quibus componitur, absolutio, naturarum dis-
 tinctio & varietas, & denique partium ordo; Hac vero omnia mun-
 do exactissime competant, uti Conimbricenses ibidem pluri-
 bus ostendunt, quis amplius de ipsius per-
 fectione dubitabit?

Et tantum de hac Materia.

F I N I S.

94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3




71 DA 17
Juni 1899

71







B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

Physica
E
POSITIVE
R SO IN
E R E.

am
riã, ex consensu amplif-
Philosophicæ,

AE S I D I O
ZOLNERI
ONENSIS,

*Sui in inclytâ Vitebergensium
ventilandam proponit*

STANGIVS
ensis Frisius.

*torio Collegii novi majore,
e matutinis.*

B E R G A E
nidts, Anno 1607.

iduo Weichselpergero Gymnasij

LITERIS SCHEFFLERIANIS.

